Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26215
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Vnde ueritatis uoce dicitur. quo semen quod secus uiam cecidit uenerunt
uolucres. et comederunt illud. quia nimirum maligni spiritus humanas
animas obsidentes dum cogitationes noxias ingerunt uerbum ui
te a memoria euellunt. Hinc rursum cuidam diuiti superba sapienti
dicitur. Vulpes foueas habent et uolucres celi nidos. Filius autem
hominis non habet ubi caput suum reclinet. Vulpes ualde frau
dulenta sunt animalia. que in fossis uel in scropibus absconduntur. cumque
apparuerunt. numquam rectis itineribus sed tortuosis anfractibus
currunt. Volucres uero ut nouimus alto uolatu se in aera subleuant
Nomine quoque uulpium. dolosa atque fraudulenta nomine autem uo
lucrum hec eadem superba demonia designantur. ac si dicat. fraudu
lenta et elata demonia in corde uestro. id est in cogitatione
superbie inueniunt habitationem suam. Filius autem hominis ubi ca
put suum reclinet non habet. id est humilitas mea requiem in su
perba mente uestra non inuenit. Quasi in quodam uolatu uolucris
illa prima se extulit. que per elatam cogitationem dixit. In celum
ascendit super astra celi exaltabo solium meum. Sedebo in mon
te testamenti. in lateribus aquilonis. Ascendam super altitudinem nu
bium. ero similis altissimo. Ecce quam alta superbe uolando petiit.
quem etiam uolatum et primis hominibus persuasit. Ipsi quaque uolando
quasi super se ire conati sunt. quando eis dictum est ut gustarent et essent
sicut dii. Cumque similitudinem diuinitatis appetunt. immortalita
tis munera perdiderunt. qui in terra moriendo non issent. si super terram hu
militer stare uoluissent. ac contra in bono uolucres poni solent.
sicut in euangelio dominus cum similitudinem regni celestis ex grano sinapis
denuntiaret. dicens. Cui simile est regnum dei. et cui simile estima
bo illud. Simile est grano sinapis quod acceptum homo seminauit
in hortum suum. et creuit et factum est in arborem magnam. et uolucres
celi requieuerunt in ramis eius. Ipse quippe granum est sinapis. qui in
hortu sepultura plantatus arbor magna surrexit. Granum per